



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XVI. Rapta tacens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

cem? nec pœnam possum recusare post culpam, nec veniam sustinere post gloriam. Miserum me, cujus nec infamia potest latere nec gloria. Non ante rempublicam quam me ipse deserui: armis & telis honestissimum corpus oneravi: &, quod non sine piaculo factum est, consecrata jamdudum arma deposui. Sto & pugno pro legibus. Aliter enim fortiter facere jam in hac ætate non possum. ¹ Grata sunt & crimina desertoris, apud quem nihil valuerunt privilegia viri fortis. Novum genus damnationis. Ignoscere vos nolo: cur enim dubitem per infamiam senex emori, qui etiam juvenis optavi ² sæpe gloriam?

XVI.

Rapta tacens.

LEX RAPTARUM. Rapta producta ad magistratus, tacuit & flevit: magistratus de raptore supplicium sumpsit: puella se interemit. Reus est magistratus, quod causa mortis fuerit.

CONTRA MAGISTRATUM.

REum cædis unius arcesso, qui duos pariter occidit. Reditus huic reo misericordiæ clausus est: quid enim sperare poterit à lacrymis? ³ juvenis etiam facies liberalis, qualem nemo non sibi aut filium optat aut generum? Is cum puellæ peteret nuptias, diu peteret: etiam sperare cœpisset, festinavit ut amator: & quid dicam, rapuit an duxit? Virgo, quod solum potuit, nihil quæsta est. Quis non inhorruit, quis tecum puella non flevit? Dicat nunc. Libuit & licuit. Cujus hæc, an regis oratio est? nec erat arbiter judicii sui, sed minister alieni. Tacuit inquam. O mira & muta sententia! Omnes sciunt lacrymas ex uno misericordiæ fonte manare, in amore vel maxime: nam iisdem oculis quibus amatur, & fletur. Miser ille, quem nullo accu-

¹ Grata sunt &c.] Lego ei. Pith. non sibi aut filium optet aut generum, is, cum puellæ peteret nuptias, & diu peteret, & jam sperare cœpisset, festinavit, ut amator, &c. Το is eleganter & ex more veterum περιέλαψ. Gronov.

² Sæpe gloriam.] Lego, sæpe per gloriam. Idem.

³ Juvenis etiam facies liberalis.] Lege, Juvenis etiam facie liberali, qualem nemo

lo accusatore punisti: inferior illa, quam te vindicare simulasti. Quis te, oro, poterit aut liberare flentem, aut flere damnatum?

XVII.

Pædagogus cruciarius.

CIVITATEM PEREGRINUS USURPANS VENEAT. Pauper & dives inimici visi sunt in gratiam redisse. Pauper accusatus peregrinitatis, venit: emit eum dives & pædagogum filio dedit. Adolescens in adulterio deprehensus, occisus est: agitur pædagogus in crucem: appellat tribunos de injusto supplicio.

PRO PÆDAGOGO.

Equidem, iudices, propitium mihi divitem semper optavi, totum me divitis fidei, &, antequam redimerer, addixi. Audio me subito peregrinum, quod nec pater ipse nec mater aliquando prodiderat, nec denique unquam inimicus dives objecerat. Filio me luxurioso jam & petulanti¹ dedit: quamvis omnia & pater ipse curaret & regeret. Imploro auxilium, quod vestri majores servis etiam natis reliquerunt. Unum non est in servitute nasci, & libertate multari. Statim credidisti fidum, & idoneum judicasti, sed non esse felicem jam tum scire potuisti. Occisus est, inquit, filius meus. Si injuria, interfectorem argue: si jure, leges. Ego illum adulterum feci, credo, luxuria mea, servus novitius & pauper, antequam servus. Multa largiebaris, indulgebas omnia, nihil unquam negabas.

XVIII.

Armati abdicati.

Abdicati ad curiam convenerunt armati, petentes revocari. Unus ex patribus contradixit: filius ejus se interemit. Idem suadet, ut recipiantur.

PRO ABDICATIS.

Peto, ut indulgeatis iræ domesticæ, cum me videatis publice poenitere sententiæ. Nam sicut in vita nunquam

¹ Dedit quamvis. Pith.

² Publicè.] Malim, publicæ. Idem.